

*Contra ne-
gantes re-
surrectio-
nem car-
nis nostræ.*

§. 15. Qui negant eandem nume-
ro carnem resurrecturam esse, his vtun-
tur argumentis :

I. *Ab impossibilitate.* Anthropophagi
enim aliorum corpora edentes, eadem
in substantiam suam conuertunt. Aut
igitur comedentes non possunt iisdem corporibus
resurgere, aut comesti.

Resp.

Impossibile fingitur, quod impossibile non
est. Neque enim omnem eam substantiam re-
cipient omnes resurgentes, quam habuerant in
hac vita, alias monstrosi resurgerent, cum vna
hominis substantia pereat, altera succrescat aut
sucedat. Possunt itaque et edentes hominem
in ea substantia resurgere, quam habuerunt, an-
tequam hominem comederent, atque hoc ipso ho-
mini comesto substantiam suam restituere.

II. *A ratione philosophica, quia soluta vnione, non
potest eadem numero vnio restitui corpori, quia illa
est accidens et duobus actibus idem numero fieri ne-
quit.*

Resp.

1) Negando, de omnipotentia DEI, hoc ve-
rum esse. Illa enim, quod possit, duobus acti-
bus accidens vnum idemque restituere, patet
inde, quia haec non sunt contradictoria.

2) Non opus est ad eundem numero hominem
restituendum, vt eadem sit numero vnio. Suf-
ficit enim eandem numero essentiam restitui.

*Corpora
resurgent,
in eodem
sexu sine
defectu.*

§. 16. Eo ipso vero, quod eadem
numero corpora resurgent, in eodem
etiam sexu resurgent. Et credibile est
beatos